



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 17. Erasmus inter Caroli Austriaci Belgii Principis Consiliarios receptus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI. A. C. 1519. scilicet oppositionibus secundam adornavit editionem operis sui, in quo Sacrae Paginae textum cum novem manu exaratis Codicibus contulit, atque novae lucubrationis approbationem a Leone X. Papa impetravit. Postea Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo eandem suam versionem tertio prælo edidit, textumque juxta editionem Venetam, versionem vero juxta alios tres manu scriptos Codices recognovit: successu autem temporis plures adhuc aliæ editiones hujus versionis prodierunt, quæ nunquam ab Ecclesia interdictæ censebantur, nec etiam ullo unquam tempore prohibitæ fuerunt.

§. XVII.

Erasmus inter Caroli Austriaci Belgii Principis Consiliarios receptus.

Hucusque Erasmi labor suo caruit præmio; tandem vero Carolus Austriae Archidux, Hispaniæ Rex, ac supremus Belgii Princeps, qui hoc eodem anno Imperator est salutatus, Erasmus ab arcanis status sui consiliis esse voluit, eique ducentorum florenorum pensionem adjecit, quæ ipsi quoque usque ad annum salutis millesimum quingentesimum vigesimum quintum accurate numerata fuit. Post

Post hæc Franciscus I. Galliarum Rex bi-
na vice eum, ut in Francia Sedem figeret,
rogari fecit, eundemque promissorum am-
plitudine sollicitavit tam beneficia quam
pensiones offerens: Verum eo proficisci
noluit Erasmus absque consensu Princi-
pis sui, cujus imperio obnoxius erat, a
quo cum abeundi licentiam ægre spera-
re posset, Consilarii dignitatem, quæ
eum Caroli Austriaci obsequio adstrictum
tenebat, dimisit. Porro eidem creditum
est regimen Collegii Lovaniensis, quod
Franciscus Basileidem Bisuntinus Archi-
episcopus condidit, anno millesimo quin-
gentesimo secundo vigesima tertia Julii
Toleti fatis functus: Cum igitur in præ-
fato Collegio trium linguarum studium
floreret, Erasmus pro lingua Hebraica
quemdam Medicum nomine Adrianum,
Religione Judæum, pro Græco autem i-
diomate Agathiam, ac denique pro lati-
no Gerardum Coclenium nominabat.

§. XVIII.

Lutheri epistola ad Erasmum.

Hac ratione Erasmus sibi præter mu-
neris sui dignitatem tantam quoque
nominis famam conciliabat, ut Lutherus
suam factionem plurimum auctoritate au-
geri crederet, si tantæ existimationis Vi-
rum omni laude dignissimum ad suas par-
tes pertrahere posset. Hinc præprimis
Melanch-

Sæcul. XVI.
A.C. 1519.

31.4.1519

4.9.1519